

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive
scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema VII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

Quamvis itaque nec pedis quidem vestigium habuerint Patriarchæ in terra ista (referente Stephano, Act. 7. vers. 5) tamen propter veritatem Dei & certitudinem promissionis, non dubitat Iacobus, istam terram vocare *Terram Patrum*.

Locvs. Sicut Iacobus moriturus solatur filium, quod Deus posteros ipsius sit introducturus in terrâ Chanaan, ita nos morituros soletur magis hoc, quod in veram patriam nunquam relinquendam, sumus introducendi: quæ & felicitatis & æternitatis ratione Chanaan illud longo post se intervallo relinquit. Imo oculus non vidit, Esai. 64. 7. 4. 1. Cor. 2 v. 9. De quo Phil. 3. *πολιτευε* in cælis, Heb. 13. v. 14. Venturam inquirimus. Et Heb. 12. v. 16. Huc itaque tendamus. Hoc desideremus, 2. Cor. 5. v. 2. Et hanc lachrymarum vallem non inuiti relinquamus.

F I N I S.

THEMA VII.

Gen. 40. à v. 29. ad 33.

Mandatum Iacobi datum filiis de loco sepultura, &c.

NOTA. Locum sequentem de morte Iacobi, Vide Class. II. Num. VII pag. 117.

DISPOSITIO.

Gen. 47. v. 29. Iacobus morti vicinus filium Iosephum, Principem Ægypti, ad se vocat, & ut ipsum defunctum non in Ægypto sepeliat, sed in terram Chanaan deducat, maximopere rogat. Idq; Iosephus interposito iuramento se facturum recepit.

Nunc vero idem in genere filiis omnibus (postquam illis valedixisset) mandat, & quo loco terræ Chanaan sepeliri velit, discrete significat. Vnde facile possumus colligere, Iacobum de sepultura sua fuisse haud parum sollicitum.

Videamus itaque Primum, Patriarchæ de sepultura sua mandatum.

Dein-

Deinde causas huius tam solliciti atque iterati mandati inuestigabimus. Et singulis partibus subiiciemus suas doctrinas.

I. Pars.

Primum notandum, quod Iacobus moriturus vult honeste sepeliri corpus suum. Non autem sic ait: Ego parum curo siue in aquam, siue in ignem proficiatis meum corpus, ubi fuero mortuus: sed honestam sepulturam petit, propter illud Dei mandatum, In terram reuerteris: vt sic admoneat seipsum, vnde sit factus.

Deinde hoc petiit propter certam spem resurrectionis. Quia ex puluere terræ se sperat resuscitandum. i. Cor. 15. Seminatur.

Secundo certum sepulturæ locum eligit, & in Chanaan vult sepeliri, non in Ægypto.

Tertio designat in ipsa terra Chanaan agrum siue cœmeterium (vt ita dicam) certum, in quo velit sepeliri.

Atque sepulchrum in spelunca illa duplici iam paratum indicat. De hoc sepulturæ loco & quomodo is aget emptus fuerit ab Abrahamo, vide Gen. 23. plura.

Locvs. Non improbanda hæc Patriarchæ cura, de honesta sepultura.

Debent etiam Christiani aliter cum defunctis agere, quam olim gentes barbaræ.

1. Fuerunt enim qui mortuos suos in profluentem abiecerent, vt Æthiopes, Lothophagi, Pzones.
2. Alii cremant suos, vt Romani, Græci & Colchorum gentes, &c.
3. Alii tanquam sterquilinium abiecerunt, & in agros disperferunt à feris & alicibus, maxime vulturibus, lanianda corpora defunctorum: vt Persæ, Parthi, Arabes Nabathæi, Brachmanes, Iberi, Taxilli, &c.
4. Alii canum laniatus honestam sepulturam esse putabant. Et canes illos sepulchrales vocabant. Et suos nonnulli canes nutriebant in vita, à quibus mortui deuorarentur, vt Hircani, Rem Bactriani, & alii plures.

5. Non

5. Nonnulli maximæ pietatis & honestatis hoc esse putabant, si suos defunctos, (parentes etiam) ipsi deuorarent: vt Persæ Dereicci, Iffedoni Seythæ Asiatici. Item Indi Padæi, & Oritæ, & Hyberni. Massagetæ suos immolatos senes deuorabant.

6. Alii lapidibus suos obruerunt mortuos, vt Troglodytæ Ethiopes, & Balearcs.

Alii porro aliter defunctos tractabant Et saniores quidem etiam ex gentilibus terræ demandabant suos, sicut de Romanis constat, quod non semper soliti fuerint cremare suos: sed humi condere.

Quod vero gentiles tam crudeliter suos mortuos tractauerunt, mirum videri non debet: quia illis hæc duo erant plane incognita.

1. Mandatum Domini, In puluerem reuerteris Gen. 3.

2. Spes resurrectionis, propter quam homo in terram seminatur: iuxta id Pauli 1. Cor. 15.

Ea propter Christiani suos in terram debent recondere. Et dubito sane ego, vtrum Deo placeat hic nostratibus visitatus mos, vbi cadauera sceleratorum, (qui tamen homines fuerunt, & sæpe pie inter supplicia mortui sunt) postquam extremis sunt affecti suppliciiis, in patibulis & rotis, volucris cœli lanianda relinquuntur. Posset etiam ipse supplicii locus terrere alios, non minus quam cadauera sic relicta, &c. Sed nolo tamen legibus Magistratuum quicquam derogare. Quamuis lex illa diuina videatur diuersum præcipere. Deut. 21. v. 22.

Plura de sepulturis vide in Promptuarii nostri Exequialis parte I. in dispositione Themat. VII, Classe prima pag. 22. Et sequenter etiam nonnulli infra in fine.

II. Pays.

At mirum cuiquam videri possit, cur Iacobus tantopere vrgeat sepulturam in Chanaan, & in agro illo Ephron. An nescit Domini esse terram & omnem? &c. Psal. 24. v. 1. Vnam quidem nobis scriptura causam exprimit, sed plures sunt, & non contemnendæ.

B

1. Petis

1. Petit sepeliri cum charissimis maioribus, in sepulchro Patriarcharum hæreditario. Ibique sepultos refert, Abrahamum auum, & Saram auiam: Isaacum & Rebeccam parentes, atque Liam etiam vnam ex coniugibus. Quibus cum ipse & quiescere in terra & resurgere suo tempore vult. At plures causæ etiam subsunt.

2. Non dubitat Iacobus quin Christus sit nasciturus in terra Chanaan ex tribu Iuda, (sicut hoc cap. vers. 10. aperte varicinatur) ideoque in Chanaan vult sepeliri, vbi semen benedictum erat nasciturum. Cum quo ipsam & maiores in die Paschatis resurrexisse, non est dubium apud Theologos.

3. Semper inhærebant Israelitæ Ægypto, nec terram promissam desiderabant, quia placebat hæc regio ipsis. Ideo Iacobus ex Ægypto cupiens transferri in Chanaan, vult ipsos monere, vt spem de terra promissa nunquam abiciant, nec oculos semper in Ægyptum defigant, sed desiderent terram patribus promissam, vbi Messias esset nasciturus. Et tamen posteri, si non à Regibus Ægypti tam grauitur fuissent tractati & onerati, non desiderasset Chanaan.

4. Scit Iacobus hanc terram non tantum Abrahamo & posteris promissam, atque exitum simul ex Ægypto reuelatum: Gen. 13. v. 15. & 15. v. 14. sed etiam sibi. Gen. 35. vers. 12. & quia audit Deum dicentem: Ego te ex Ægypto reducam Genes. 46. v. 4. mortuus cupit reduci, quia viuo ipso id non factum fuisset. Sicque mandato & promissionibus diuinis semper intentus fuit. Cæteras causas hic prætereo lubens.

LOCVS. Tantum discemus aliquid de eo, de quo nos textus monet: scilicet esse inter corporalia Dei beneficia & hoc, si contingat homini sepeliri cum piis maioribus. Patet ex contrario: vt videre est 1. Reg. 13. vers. 22. Esa. 14. vers. 19 & 22. vers. 16. Ier. 22. v. 19. Ideo Iacobus, Tobias Tob. 14. & alij tam solícite cum suis vt sepeliantur, mandarunt.

Certum

Certum tamen est multis etiam piissimis hoc negatum à Deo. Et plures quoque, præsertim Martyres, omni honore sepulturæ priuatos. At hæc salutis ipsorum non officiant. His valet id Domini est terra & omnis plenitudo. P. sal. 24. Et; Vbique idem est ad cælos adscensus. Et Cælo tegitur, qui caret Vrna. Et, quos terra non texit, nemo tamen à cælo separauit. Vide Aug de ciuit. Dei lib. 1 cap. 12. Nec pœna est mortuorum, qui sentire non possunt. Idem,

FINIS.

THEMA VIII.

Gen. 50. v. 1. ad 14.

Historia continens descriptionem funeris facti Iacobo Patriarchæ, vbi vnctio, luctus, comitatus, pompa funebris & cura pia mortui, atque humatio prolixè narrantur.

DISPOSITIO.

Magnus plerumque cernitur apparatus, & pompa funerum magna atq; solennis ducitur, quando Reges aut Principes & personæ illustres sepeliuntur. Talis sane eximia & solennis pompa hoc loco cernitur in funere Iacobi Patriarchæ, vbi currus & equites & magnus exercitus apparent. Quamuis autem nonnulli cogitent, personam terræ mandatam non fuisse tantæ existimationis, vt fuerit tot cærimoniiis opus, cum Iacobus non sit princeps, comes aut nobilis: sed olim opilio & seruus Labani, post rusticus & priuatus: tamen sciendum est, funus non tantum hic fieri parenti, à Principe Ægypti celeberrimo, Iosepho scilicet, ita permittente & iubente Rege Ægypti potentissimo: sed & defunctum hunc, auum esse Christi saluatoris, eoque nomine & nobilissimum & generosissimum, eumque simul proauum Dauidis & Salomonis, atque sic patrem multorum Regum, & propter fidem & pietatem

B 2

Deo